

Johann Bacmeister

**Rector Universitatis Rostochiensis Joannes Bacmeisterus. D. Med. & sup. Math.  
P. P. Facult. Medic. Senior. Ad Sancti Spiritus Meditandam Maiestatem &  
universam Gloriam Cives Academicos invitat & hortatur : [P.P. Rostochii sub  
Sigillo Rectoratus ... Anno MDC.LXXXIII.]**

Rostochi[i]: Wepplingius, [1683]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735977720>

Druck    Freier  Zugang



RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**JOANNES BAC-**  
**MEISTERUS. D.**

Med. & sup. Math. P. P.  
Facult. Medic. Senior,

*AD*

# SANCTI SPI- RITUS

Meditandam Majestatem & uni-  
versam Gloriam

Cives Academicos invitat &hortatur.



ROSTOCHI,  
Typis JOHANNIS WEPPLING II,  
Univers. Typogr.

1683

R.U.-Prog. 1683

**A**QVILAM JOVI adversus Titanas profici-  
scenti sacraqve facienti in auspicium advo-  
lasse, ipsique Jovi cum Gigantibus prælio di-  
micanti fulminum tela subministrasse, eoq;  
auspicio usum, eam inter Astra collocasse.  
Poetæ fabulantur. Quā de causā, *Virgi-*  
*nus, Ovidius & Claudio* nus. Aquilam & qvi-  
dem illam speciem, qvæ Aurea dicitur no-  
mine Chrysaetos, tonantis Jovis Armigeram, & *Statius*, flam-  
migeram vocarunt. Quæ ad DEI PATRIS dextram evola-  
vit cœlestis AQVILA, vera Jovis omnium rerū Creatoris  
ac Conservatoris Avis, unicus ab æterno genitus. Filius, non  
ministravit fulmina, sed excusit. Reliquit terras, exiit seculo,  
evasit Mortalium angustias, emensus vastimissima ætheris spa-  
tia, & inter Myriades sanctissimorum Angelorum receptus:  
in gloriæ thronum SERVATOR noster, adsidens in solio æter-  
no Genitori, consors sociusq; potentiae & imperii, exara-  
vit vindicem manum, & in pignus gratiæ, reconciliatiq; Or-  
bis, & sceleris, quo Numinis merueramus iram sanguine suo  
ac morte expiati, arrhabonem SANCTUM misit SPIRITUM,  
splendoris intaminatiq; fulgoris, omnem Angelorum san-  
ctimoniam incomparabili & soli DEO propriâ & coævâ pu-  
ritate immensis passibus excedentem.. SPIRITUM illum  
in quem ex simplicissima illâ ab Apostolis tradita doctrinæ  
Christianæ rægula, CREDIMUS UT DEUM; DEUM infinitum,  
æternum, omnipotentem, scientiam inconprehensibilem,  
præsentiam immensum.: Neque minorem DEO PATRE &,  
FILIO, neq; posteriorem, sed unum cum utroq; DEUM, DO-  
MINUM supra Creaturarum ordinem, inexhaustæ vir-  
tutis, penetrantem omnia, omnibus superiorum, omnia  
sibi subdita nutu guberantem, Seculorum conditorem, bo-  
norum fontem; VIVIFICANTEM, cunctorum animatorem,  
vegetantem omnia, vigorem adipirantem omnibus, beatifi-  
cudini, æternæ diribitorem, Cordium habitatorem, & in ani-  
mis:

mis piorum, spiraculo suo & domicilio fidei, pēr quam sal-  
vi reddimur, igniculos suscitantem. Qui ex P ATRE & FI-  
LIO ineffabili modo ab ipsā æternitate ita procedit, ut extra  
DEUM PATREM & FILIUM nunquam sit, nunquam fuerit.  
Cujus emanationis ac processionis modum nullus mortali-  
um in hac quidem mentis caligine penetrare poterit, sed po-  
tius infantiam nostram cum ipso Augustino profiteri cogi-  
mur, qvi, *Queris à me, inquit, si de substantia Patris est Filius,*  
*de substantia Patris est Spiritus S., cur unus Filius, aliis non?*  
Ecce respondeo, *sive capias sive non capias: De Patre est Filius;*  
*de Patre est Spiritus. S. sed ille genitus, iste procedens.* Mox qvi-  
busdam interjectis. *Quid autem internasci & producere in-*  
*terfit, explicare quis potest?* Qvibus tandem subjungit: *Di-*  
*stinguere inter hanc generationem & illam processionem nescio,*  
*non valeo, non sufficio.* Nullibi enim sine Sancto hoc Spiritu  
est Pater, cuius cum Majestas summa omnia impleat exhausti-  
atq; Spiritum hunc suum ubique sibi proximum sistit. Nec  
minus unica DEI Patris proles CHRISTUS totius humanige-  
neris Rector ac Conservator, abdito humanoque ingenio  
impenetrabili sensu, cum Patre spirat unius essentiae æternæ  
& immensæ Dominum Spiritum Sanctum, Adeò internus  
purissimusque DEI Patris & Filii amor est Spiritus Sanctus, in  
admirandâ illâ æternorum testium triade tertius, pariq; ma-  
jestate & incomparabili consensu in Cœlorum throno ful-  
gens. Qvi cum Patre & Filio simul adoratur & conglorifica-  
tur. Qvi locutus est olim per Prophetas Divinæ Interpretes  
mentis, horum vel lingua sacrosancta voluntatis suæ Ora-  
cula & cœlestia lenatus consulta adoranda Trinitatis scita-  
publicavit, vel calamo styloque consignare jussit. Inter quæ,  
quod per sanctissimum Vatem ante tot secula prænunciave-  
rat, hac demum luce spectante stupenteque Hierosolymâ o-  
mni, gloriosè implevit. Dum super Apostolos Hierosolymis  
μοθυμαδι congregatos, & promissum Salvatoris sui cœlitus  
præstolantes in Igne non quidem furoris, quo consumpsit

q[ui]ondem profani ignis administratos, sed ardentis charitatis  
& Sonitu leniter strepentis auræ visibili se effudit specie, eos-  
que sacratissimis suis muneribus abunde instructos, & varia-  
linguarum idiomata eductos, ad magnalia DEI ubique prædi-  
canda aptos & idoneos effecit. Neque sine causa singulari  
factum putabimus, quod DEUS Sono & Linguis ignitis nobilissi-  
mos Hominis; Sensus perstringere, tam manifestè ingens hoc  
miraculum exhibere, divina humanis quasi involucris vesti-  
re, & ad imbecillitatem nostram condescendere non fuerit  
dignatus. Sonus q[ui]ppe Aures ferit: Ignis verò Visum oculosq[ue];  
afficit. Ex Aëris tremuli undatim propagati & diffusi motu, vel  
duorum corporum collisione fieri sonum Honoratus Faber  
1.2. d Homin: Propos. 57. paragr. 7. & alii statuunt. Verum quo-  
modo hodiernus iste Cœlestis Sonus? non certè ex collisione  
duorum corporum, sed modo ineffabili, Patris nempe & Filii  
reciproco amore. Eleganter Erasmus. Repente, inquit, e Cœ-  
lo venit sonitus, quasi venti magno impetu se ferentis, acre ple-  
vit totum cœnaculum, ubi sedebant placidi quieti. Non erat  
ille Boreas, e nubibus frigus adspirans: neq[ue] erat Notus, e palu-  
stribus locis tempore pestiferum adferens corporibus. Flatus  
erat cœlestis, inde veniens, quo profectus erat Christus; Vitam  
internam spirans animis, robur & alacritatem addens infirmis,  
ac pusillis. Hic sonitus neminem terruit, sed omnium animos ex-  
pergefecit ad expectationem promissi spiritus. Repentinus fuit  
hic flatus, quod Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia:;  
E Cœlo venit, ut scilicet de Origine donorum Spiritus Sancti cogitemus, & ad Cœlum, patriam nostram, & verūm mātē & p[ro]p[ri]a  
societatis Sanctorūm nos subvehamus. Fertur hic flatus, planè,  
ut in primā vā Creatione Spiritus Domini ferebatur super aquās,  
illam scilicet materiam rudem, informem, obscuram, adhuc  
sub ipsa aqua latitantem spirituali & planè incenarrabili mo-  
do sovendo, animando & in lucem producendo, eodem fer-  
me modo prout Gallina ovis vel Aqvila plumescentibus in-  
cubat pullis, eosdemque non saltem ad solis ignes explorat-  
qua de re egregii versus Claudiani,

Par

*Parvus non Aquilis fas est educere fatus  
Ante fidem solis judiciumq; poli:  
Nam Pater, excusso subiit cum Germine proles  
Ovaq; Maternus rupit biulca tepor.  
Protinus implumes convertit ad aethera nidos  
Et recto flamas imperat ore pati.  
Consulit ardentes radios, & luce magistrâ  
Natorum vires ingeniumque probat.*

Sed ad volandum pullos provocat, & super eos sese agitat, eosdemque nunc incubatione magis sustentat: nunc alarum plausu excitat, & præter morem aliarum Avium non Iupræ se, sed infra, hostem telumque metuens, quasi corpore clipei vice telis objecto, humes gestat. Nova itaque quasi Creatio à Spritu hodie super Apostolos effuso, etiam nobis exspectanda venit & desideranda; Regio Vate ita canente: "Emittit Spiritum tuum & creabuntur. Utinam saltem Sonitus iste miraculosus aures nostras ita feriret acriter, ut intima Cordis penetralia illius motum persentiscerent: Verum corruptæ Humanæ naturæ frigiditas fomenta ignis cuiusdam fortissimi exposcere videtur. Apparuit ergo Paracletus in linguis dispartitis & flammeis. Dispartitis quidem, ut, sicut olim per diversitatem liguarum humanum genus circa turris Babylonicae structuram iratus disperserat; ita per eandem idem nunc sibi reconciliatum colligeret in eandem fidem, ut eorum sit Cor unum & Anima una. Flammeis vero instar Ignis ad illustrandam & inflammmandam mentem nostram, adeo sordibus depravatorum morum scatentem, extirpandumq; funditus torporem securitatis & peccatorū. Nisi enim luculentas hasce faculas SPIRITUS ipse SANCTUS hodiè nobis præferret, & sanctissimum hunc ignem Cordibus nostris instillaret, in ignorantia tenebris habitaremus semper, nunquam in lucem vitamve reducendi. In illo namque æternō mentium pabulo vivimus, in illo movemur, in illo quiescimus. Hunc intra nos habeamus necessum omnino est, si boni

ni esse velimus. Audiamus Senecam Lucilium Epist. XL I. aureis  
hisce alloqventem verbis. Prope est à te Deus, tecum est, intus est.  
Ita dico, Sacer intra nos Spiritus sedet, malorum bonorumq; nostro-  
rum observator & custos: prout à nobis tractatus est, ita nos ipse  
tractat. Bonus vir sine Deo nemo est. An potest alius supra for-  
tunam, nisi ab illo adjutus, ex surgere? ille dat consilia magnifica &  
erecta. In uno quoq; Virorum bonorum habitat Deus. Quid certè  
divinus aut elegantius ipsum Christianum os dixerit. Per hu-  
jus Sanctissimi Spiritus motus & agitationes internas sacras de-  
prehendimus, quod CHRISTUS in nobis habitet. Qui hunc Spi-  
ritum à Patre & Filio procedentem non habet, neq; partem in  
CHRISTO habebit; & hi demum sunt Filii Dei, qui Dei Spiritu  
ducuntur. Hinc adoptionis nostræ Spiritus dicitur, per quem  
clamamus Abba Pater. Cum autem omnia in præsens ruere,  
in pejus & retro sublapsa referri, adeò passim scelera atq; re-  
rum omnium confusiones succrescere, quotidiè experiamur;  
ut nec Remedia, nec Morbos atq; vitia nos amplius ferre pos-  
se videatur: Cum tanta Animorum cœcitas ubiq; vigeat, ut e-  
tiam præcognita pericula non formidemus, mala omnia se-  
curè spernamus, nec ulla fatalia signa curemus; multo minus  
de veris huic desperato morbo applicandis remedii simus sol-  
liciti. Vereor, ut in nos Domini irruerit supor: sopor narcati-  
cus, & perniciosior eo, qui Opio fuerit provocatus. Quid enim,  
qua so, commertii esse potest ipsissimæ sanctitati cum turpi  
malitia Nimirum quali luci cum tenebris, Christo cum Beli-  
al, beatis cum damnatis. Egregio certè præfiguratum id vo-  
luit typo Divina Majestas, quando Populo in peculium olim  
sibi collecto peculiari præcepit edicto Exod. XXVII. c. 20. v. 20.  
ut Lampada, qvæ omni die omniq; nocte in Tabernaculo cla-  
rum fundebat lumen, non alio nisi purissimo Olivarum oleo  
instruerent: indicans nimirum, immaculatum omnino suū  
esse Spiritum, illustrissimam ejusdem esse gratiam ac munera.,  
qvib; se hominib; gratiose insinuat, iisq; non omnibus quidē  
sed

Sed qui vicissim mundi Corde sunt, animū vitiis, pēcamino-  
sis affectibus, terrarum voluptatibus vacuum possident. Hoc  
tale vasculum qvi sibi non comparat, Oleo istodivino destitu-  
etur æternum & justissimo jure audire cogitur, qvōd Didymus  
*Alexandrinus* Alexandro Macedoni dixisse perhibetur. Deus  
paratus est tibi dare sapientiam, sed non habes, in qvo eam exci-  
pias: nimium enim superbis aliisqve peccatis pollutus es. Qvo  
ergo nos ibimus, Cives Academici? Et hic, & ibi & istic, & ubi-  
qve nos occupat, circumfundit, implet Spiritus DEI. Obstu-  
pescimus meritò, pedem ultra ferre nequimus; In genua pro-  
cidamus necessum est, & adorabimus tremendum *Sancti Spi-  
ritus*. Numen cum Patre & Filio unum. Libidinibus, & seculi-  
vanitatibus indulsimus, cæci fuimus, non attendimus suprà  
nos minitantem, juxta nos retrahentem, circa nos confutan-  
tem, intra nos suggesterentem meliora S. DEI SPIRITUM. Nunc  
excussus est torpor, socordia depulsa, mentis oculi adapti.  
Suscipite ergo, O mei, hunc Spiritum in: Filios Dei vos adop-  
taturum; susceptum ita fovete, ut sub Spiritus hujus disci-  
plina non in tenebris, non in scelerum sordibus, sed in ipsa  
veritatis, Justitiae, modestiae virtutumqve omnium luce vos  
vivere videamus. Cogitate hisce diebus, qvibus solennis. S.  
Spiritus mediatio in Sanctorum cætibus instituitur, ubi sitis, &  
admirabimini atqve obstu pescite, qvōd ubiq; intimum proxi-  
mumqve habeatis omniscium & omnipotentem DEI Spir-  
itum, in universas Creaturarum diversissimarum Species lar-  
gum, imprimis Generis nostri curatorem, qvi id tot illustri-  
bus documentis ab Orbe condito toties contestatus est. Con-  
niventibus oculis mentis intaimini in fluvium illum igneum,  
ipso Oceano majorem, qvi è throno DEI emanat jugiter,  
nunquam à throno DEI diuisus tamen, nunquam exhaustus.  
Qvam admirabiliter, qvæso, in Legatos DEI ad Orbis concilia-  
tionem illabitur! qvam illos implet & conspicuos facit! Ar-  
dent Linguæ, flamma caput lambit, & effusis leniter radiis.  
fulgo-

fulgorem admirandum spargit. Incalescant agitante Spi-  
 ritu omnes, & Cœli arcana Auditorio pandunt. Ad vos, nos-  
 que omnes derivatae sunt illius gratia deditæ, qva tantis in  
 Pentecostes solennitate obsignatae sunt splendoribus. Ista sub-  
 limum mysteriorum & magnalium DEI admiratione ex-  
 pergefacti, in Vos paulisper descendite, ite in penetralia con-  
 scientiarum vestrarū, & expendite, qvomodo vobis cum Opt:  
**Max.** Vicino vestro, Sancto DEI Spiritu, convenerit; qvam fi-  
 da & sincera apud eum fuerit vestra cohabitatio. Ad sidebit il-  
 le vobis inter tot apparitores & testes Angelos Judex & Vin-  
 dex. Qvo ergo ibitis à Spiritu Domini, & quo à facie ipsius  
 fugietis? Si ascenderitis in Cœlum, is ibi est: Si descenderitis  
 in Infernum, aderit etiam. Admirabilis est ista vicinitas, intima  
 propinquitas, purissima, & immaculata diffusio. Valedicite  
 Mundi delitiis, insidiis, præstigiis, affaniis, larvis, & qvicquid  
 præsidiorum ostentant, vanitatibus aliis. Habete fidem  
 D. Hieronimo. Non potestis simul impleri Vino & Spiritu Sancto.  
 Abnegate vos, abrenunciate vobis. Ite ad Spiritum DEI  
 Sanctum; accedite ad ignem hunc, ut Cor vestrum incalescat,  
 ut liqvetiat, ut tenerum reddatur, ut tractabile. Adeste  
 freqventes Sacris Concionibus, & devoto pectore SANCTI  
 SPIRITUS implorate gratiā. Gaudethic animæ suspiriis, pre-  
 cibus, lacrymis, divino cultu; sed in Spiritu & Veritate. Orate  
 supplices, ut dissidentium ferali certamine Regum, Princi-  
 pumque animis, Pacis ac Concordiæ instillet amorem, ut Pacē,  
 qvam quidem ad huc habemus,abituritionem tamen aparte  
 satis minatur, conservare, & omnia mala à nostris præsepibus  
 averruncare benignissime velit. P.P. Rostochii sub Sigillo  
 Rectoratus, ipsis Spiritus Sancti. s. Pentecostalibus  
 Ferijs. Anno cīc. LXXXIII.



sed qui vicissim mundi Corde sunt, animū  
 sis affectibus, terrarum voluptatibus vacu  
 tale vasculum qvi sibi non comparat, Oleo  
 etur æternum & justissimo jure audire cogi  
 Alexandrinus Alexandro Macedoni dixisse  
 paratus est tibi dare sapientiam, sed non habo  
 pias: nimium enim superbus aliisqve peccatis  
 ergo nos ibimus, Cives Academicī? Et hic, &  
 qve nos occupat, circumfundit, implet Sp  
 pescimus meritō, pedem ultra ferre nequim  
 cidamus necessum est, & adorabimus trem  
 ritus Numen cum Patre & Filio unum. Lib  
 vanitatibus indulsimus, cæci fuimus, non  
 nos minitantem, juxta nos retrahentem, ci  
 tem, intra nos suggesterentem meliora S. DEI  
 excussus est torpor, socordia depulsa, mei  
 Suscipite ergo, O mei, hunc Spiritum in Fi  
 taturum; susceptum ita foyete, ut sub Sp  
 plina non in tenebris, non in scelerum sor  
 veritatis, Justitiae, modestiae virtutumqve  
 vivere videamus. Cogitate hisce diebus,  
 Spiritus mediatio in Sanctorum cæribus inf  
 admirabimini atqve obstu pescite, qvod ubiq  
 umqve habeatis omniscium & omnipote  
 tum, in universas Creaturarum diversissim  
 gum, imprimis Generis nostri curatorem,  
 bus documentis ab Orbe condito toties con  
 nientibus oculis mentis in quimini in fluviu  
 ipso Oceano majorem, qvi è throno DEI e  
 nunquam à throno DEI diuisus tamen, nun  
 Qvam admirabiliter, qvæso, in Legatos DEI a  
 tionem illabitur! qvam illos implet & consi  
 dent Linguae, flamma caput lambit, & effu

